

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

VII. Vtrùm auxilium efficax necessarium ad piè operandum, sit positum in
aliqua excitatione per se, & ex vi suæ natura, ac præcisè entitatis,
prædeterminantis physicè voluntatem ad consensum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

hæcæmus fortē in voce physica, quā nonnulli eiusdem opinionis vti nolunt, res ipsa spectanda est, & statuendum nihil aliud per illam indicari, nisi motionem illam talem esse, vt à solo Deo fiat in homine, & de se, & sua vi naturali ac proprietate habere effectum ita determinandi voluntatem, vt voluntas non possit resistere illi, vel vt impossibile omnino sit, voluntatem illam habere, & non consentire. Et hunc modum determinationis ita censeo sufficere, vt dicatur physica determinatio, vt licet fingamus motionem illam præuiam & efficacem, non habere physicā, & per se efficientiam in consensum, sed per solam inherēntiam suam determinare omnino voluntatem quasi formaliter ligando, vel impediendo illam, ne possit suum influxum suspendere, id satis fore, vt sit vera & physica determinatio, quia formalis causalitas, quæ est à vera forma reali, physica est.

Ex his ergo satis, vt arbitror, declaratus est sensus quæstionis propositæ, neque aliquis existimet supernataneam esse tam prolixam terminorum declarationem, quia non solum est necessaria ad vim rationum & testimoniorum penetrandam, sed etiam erit vtilissima ad expedienda, cum longè maiori breuitate multa argumenta, & varia diuerticula præcludenda. Præterquam quod ad intelligendum statum quæstionis, & varietatem opinionum est necessaria. Primum ergo & præcipuum punctum totius controuersie est, an ad efficaciam vocationis seu excitantis auxilij necessaria sit prædeterminatio physica voluntatis. in quo puncto duæ sunt opiniones extremè contrariæ, quas hic breuiter & generatim attingam, nam postea per partes sunt fusè tractandæ.

Prima opinio simpliciter affirmat efficaciam auxilij in physica prædeterminatione positam esse. Cuius fundamentum generale, omnis nunc testimonij, est, quia non potest auxilium præuiæ motionis, seu vocationis esse ita efficax, vt infallibiliter inferat consensum voluntatis, nisi omnino inuitabiliter determinet voluntatem ad talem consensum, sed hoc non fit, nisi per physicam prædeterminationem: ergo. Minor euidentis est ex declaratione data. Maior probatur, quia posito auxilio efficaci præuenienti, consecutio actus liberi non potest esse infallibilis, nisi vel ex præscientia, vel quia immutabilis est posito tali auxilio. Sed infallibilitas non potest primò & per se ex præscientia provenire, ergo necesse est, vt eneniat ex prædeterminatione physica. Minor probatur, quia vel est sermo de præscientia absoluta, & hæc supponit præscientiam auxilij absolute futuri, & efficaciam eius, vel præscientia conditionata, & hæc vel nullo modo datur de talibus futuris contingentibus, quæ sit omnino certa & infallibilis, antequam præsciantur absolute futura, vel si datur necessariò supponit, sub illa conditione decretum Dei absolutum & efficacem, in quo veritas illa, & certitudo fundetur, quod decretum inuoluit etiam efficaciam, quam auxilium de se habet ad determinandam voluntatem. Et quia hoc tantum fundamento videtur præcludi via ad saluandum omne aliud auxilium præuium efficax, quod sit potentissimum medium, quo Deus exequatur absolutam prædestinationem, vel de salute electorum, vel de alijs actibus liberis, quos præfiniuit, vt iam supponimus, ideo ab Auctoribus huius scientiæ omni conatu & contentione impugnata est conditionalis scientia, quia illa è medio sublata, non superest alius modus sufficiens efficacia, præter physicam prædeterminationem. Modi autem explicandi & defendendi hanc sententiam sunt multi, & auctores eius in illis non conueniunt, & aliqui non in omnibus punctis, sed in vno, vel alio consentiunt, & ideo nunc

nec auctores refero, nec alia fundamenta, membratim enim in sequentibus capitibus illud præstabo.

Secunda opinio negat esse necessariam prædeterminationem ad efficaciam auxilij, fundamentum est in primis à posteriori, tum quia posita huiusmodi necessitate auxilium tantum sufficiens erit de se inefficax, ac subinde non sufficiens tum etiam quia talis ac tanta efficacitas induceret necessitatem libertati actus contrariam. Apriori verò fundamentum est, quia ad saluandam veram efficaciam auxilij sufficit futura causalitas eius, quæ sit infallibilis in diuina præscientia, quam Deus sine dubio habet de huiusmodi futuris sub conditione, prius secundum rationem, quam talia auxilia efficaciam, seu congrua distribuat. In modo autē explicandi hanc sententiā est aliqua diuersitas, quæ postea per partes tractanda est, & ideo nunc neque auctores refero, neque fundamenta illa amplius vigeo. Nos verò hanc posteriorem sententiā approbamus & defendimus. Et fundamentum propositum prioris sententiæ euertimus demonstrando, dari in Deo certissimam & infallibilem scientiā veritatum contingentium, non fundatam ex parte obiecti in aliquo decreto libero diuinæ voluntatis, sed in veritate rei secundum se, vt in secundo prolegomeno tractatū est. Imò nunc addimus, non parum infirmari credibilitatem contrariæ sententiæ ex eo, quod efficaciter persuaderi non potest, nisi negando Deo quamdam scientiam valde conformem infinitæ illius perfectioni, sapientiæ & altissimæ prouidentie, nec non sanctis Scripturis & Patribus nimis consentaneam, & quæ nec demonstrari potest impossibilis, neque hæcenus, vel probabiliter persuasum est.

Addo denique tam certum mihi esse Deum non prædeterminare illo modo voluntates humanas, neque id esse necessarium ad piē, sanctæque operandum, vt si vel talem necessitatem prædeterminationis admittere, vel electionem absolutam, aut prædefinitionem actuum liberorum ante præscientiam eorum negare necessarium esset, potius dicerem hoc posterius esse negandum, quam illud prius admittendum. Nam in doctrina fidei arctius est dari peccatoribus auxilium sufficiens ad salutem, & auxilium efficax non tollere libertatem supernaturalium, quàm sic certum dari absoluta decreta libera in Deo futuris actibus liberis ante præscientiam eorum. Et ideo si oporteret vel illa principia labefactare, admittendo tale genus prædeterminationis, vel illa decreta in illo absoluto sensu non admittere, sed aliter illa interpretari hoc potius esset eligendū, quàm prius: sed cum omnia illa dogmata vera sint, inter se non repugnat nec in eas angustias redigimur, vt alterum ex illis duobus eligere necessarium nobis sit, vt iam tetigimus, & in discursu sequentium capitum planum fiet.

CAPVT VII.

Verum auxilium efficax necessarium ad piē operandum, sit possum in aliqua excitatione per se, & ex vi sue nature, ac præcisè entitatis, prædeterminans physicè voluntatem ad consensum.

VT duæ sententiæ generatim relatæ præfinitus examinentur, & iudicium de illis datum verum & solidū ostendatur, per omnes modos discurre oportet, quibus illæ opiniones defendi solent, vel possunt, vt in illo, qui & principis fidei magis consentaneus apparuerit, & ad resistendum hæreticis aprior, & minoribus difficultatibus implicatus fuerit, quiescamus. Circa opinionem verò de auxilio

20.
Opinio secunda.

21.

22.

lio prædeterminante tres modi occurrunt, quibus cogitari potest. Primus quod detur aliquis motus excitantis gratia qui natura sua habeat vim hanc prædeterminandi voluntatem, & inevitabiliter illam inducendi in consensum. Secundus est, ut nulla excitatio per se ad hoc non sufficiat, sed compleatur virtus illa per aliam motionem realem distinctam ab actu prævio excitantis gratia, & ab actu liberi consensus, & quasi media inter illos. Tertius ut consistat in ipsa immediata productione deliberati consensus, prout ab efficaci voluntate Dei procedit, vel (quod perinde est) ut consistat in efficaci Dei voluntate, quia talē actionem voluntati hominis immittit, eamdemque ad secum cooperandum efficaciter trahit. Ex quibus modis duo primi ad prædeterminationem in actu secundo iuxta declarationem in superiori capite datam. In hoc ergo capite primum modum, qui facilior est, expeditur.

2.
Dubitandi
ratio.

Ratio igitur dubitandi in puncto proposito est, quia efficax præueniens auxilium positum est in aliqua excitante gratia, id est, in vocatione quadam alta & secreta & interna doctrina: ergo necesse est, ut detur aliqua excitans gratia, quæ ex se, id est, ex vi sui modi intrinseci hanc efficaciam habeat; ergo illa etiam gratia erit physice prædeterminans voluntatem. Antecedens probatum est latè capite præcedenti ex sententia Augustini, qui testimonijs Scripturæ illud confirmat. Nam gratia illa, de qua loquitur Christus Ioann. 6. *Omnis qui audit à Patre, & dicitur, venit ad me*, gratia excitans est, nam consistit in interna doctrina, illuminatione, & inspiratione, & tamen illi tribuit Christus infallibiliter effectum liberi consensus, cum dicit, *venit ad me*, ut enim notat Augustinus lib. de grat. Christi cap. 14. non dixit Christus, *potest venire ad me, sed venit, ubi iam* (inquit) *possibilitatis profectus, & voluntatis effectus & actionis effectus est*. Nam, ut superius dixerat, quando Deus docet per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. quæ omnia pertinent ad gratiam excitantem. Idemque confirmant omnia, quæ de efficaci vocatione capite præcedenti diximus. Consequenter verò prima probatur, quia si excitatio non habeat hanc efficaciam ex se, seu ex intrinseco modo suo, iam non ipsa erit efficax, sed aliunde proveniet efficacia ex alio principio vocationis addito, quod accidentarium esset, quod est contra proprietatem verborum Scripturæ, & Augustini. Altera etiam consequentia nota est ex declaratione data capite præcedenti, nam idem est prædeterminare, quod ex se infallibiliter effectum inferre.

Ioan. 6.

August.

3.

Nihilominus in hoc puncto omnes utriusque opinionis Auctores in hoc convenire videntur, quod per solas excitationes non prædeterminatur simpliciter, ac physice voluntas, hoc in nostra sententia manifestum est, in aliorum autem opinione patet, tum quia ob eam rem, præter excitationem postulant novam motionem prædeterminantem physice, quia solæ excitationes ad hoc non sufficiunt. Vnde Ledesma artic. 1. conclus. 1. licet excitationibus tribuat determinationem moralem, de quo statim dicam, addit in fine illius, illam prædeterminationem non esse physicam. Tum etiam, quia isti auctores faterentur, ex duobus hominibus habentibus æqualia auxilia præuenientia excitantia, posse vnum conuerti, & non alium, si vni detur auxilium adiuuans prædeterminans, & non alteri; ergo supponunt excitantia auxilia non prædeterminare physice. Imò. ut cap. 5. dixi, ideo negant auxilia excitantia in suo ordine esse efficax auxilium, quia illa non prædeterminant physice voluntatem, & ipsi putant veram efficaciam in physica prædeterminatione consistere. Ut autem hæc veritas ma-

Ledesma.

gis declaratur, & confirmetur, nonnullis propositionibus distinguenda est.

Dico primò. Ad actum liberum supernaturalem efficiendum, non est necessaria excitans gratia physice prædeterminans voluntatem. Probatur primò ex principiis superiori libro positis de gratia sufficienti. Nam Deus præbet homini, qui non conuertitur, vocationem & excitationem necessariam ad salutem, & non dat illi excitationem determinantem voluntatem eius; ergo talis excitatio determinans non est ad salutem simpliciter necessaria. Et confirmatur, quia si excitatio de determinans voluntatem est necessaria, ut voluntas consentiat, ergo sine illa non potest consentire, ergo sine illa non habet sufficientem excitationem, & consequenter non peccat non consentiendo. Hic verò responderi potest vulgari distinctione, scilicet excitatio determinans voluntatem esse necessariam, ut quis consentiat, non verò, ut possit consentire, & ideo sine illa habere hominem sufficientem excitationem, ut possit velle, non tamen ut velit. Sed hoc virtute impugnatum est in superiori libro, & in simili forma impugnabitur in sequentibus, quia auxilium verè sufficiens est, non tantum ad posse, sed etiam ad velle, si homo bene illo uti velit, ut potest cum auxilio adiuuante, quia si noua vel distincta excitatio necessaria est, cum illa non sit potestate hominis, simpliciter & absolute actus non est in eius potestate.

Secundò probatur assertio, ratione philosophica, quia voluntas ad actus naturalis ordinis non indiget excitatione, vel cognitione prævia naturali determinante voluntatem, ut ipsa possit, & de facto consentiat pro libertate sua; ergo seruata proportionem, neque in supernaturalibus est necessaria excitatio sic determinans. Antecedens videtur certum, & satis declarari à Sapiente Eccles. 15. illis verbis, *Deus creauit hominem & posuit eum in manu consilij sui*, &c. Vbi declarat proposuisse Deum homini vitam & mortem, ignem & aquam, ut pergitur manum ad quod voluerit. Est ergo determinatio illa in manu voluntatis, licet antecedentia consilia, vel obiecta illam non determinent. Item probatur ex modo, quo præbet homo consensum voluntatis vel tentatione inductus, vel ad petitionem alterius. Quis enim dicat tentationem determinare voluntatem physice, ut omnino velit? Tentatio autem se habet ut excitans ad malum. Idemque est de petitione, nam constat experientia non statim hominem annuere petenti aliquid, & postea suo arbitrio consentire, etiam si excitatio petentis aucta non fuerit; non ergo ipsa fecit determinationem efficaciter, sed voluntas se determinauit. Consequentia verò prima probatur, quia Deus eleuat voluntatem in supernaturalibus modo accommodato tali naturæ, & hoc est *foris & suauiter* illi providere. Item, quia eadem ratio cum proportionem applicata utriusque operibus inuenitur, ut magis ex sequenti affectione patebit.

Dico secundò. Gratia excitans prædeterminans physice voluntatem, neque datur hominibus vocatis ad gratiam, etiam si de facto consentiant, neque est possibilis non solum de communilege, verum etiam neque ex natura rei. Prima pars probatur primò ex illis locis Scripturæ, in quibus dicitur Deum ita vocare homines, ut relinquatur potestate eorum consentire, vel resistere, ut est illud Apocalyp. tertio. *Ego sto ad ostium, & pulso, &c.* & similia; quia dici non potest in omnibus his locis esse sermonem de sola vocatione, cui re-locis esse sermonem de sola vocatione, cui re-locis esse sermonem de sola vocatione, cui re-locis esse sermonem de sola vocatione, cui re-

Pauli ad Ephes. 2. Cum timore vestram salutem operamini; & subdit rationem, Deus enim est, qui operatur in vobis & velle, & perficere. Duo enim coniunxit Paulus in his verbis, vnum est, homines debere operari salutem suam, aliud Deum esse qui salutem operatur, & perficit. Supponit ergo Paulus, non obstantem praua operatione Dei per vocationem ad hominem pertinere, & in potestate eius esse operari, suam salutem, & ideo fortasse monuit, ut cum timore & tremore operaremur, quia possumus resistere vocationi Dei, etiam interdum cum illa operemur.

Vnde secundò principaliter probatur assertio ex cap. 5. & can. 4. sess. 6. Concilij Tridentini, quibus tradit talem esse inspirationem & illuminationem Dei, ut qui illam recipit, possit illam abstinere. & eandem vim habent verba Concilij Senonens. dicentis prauentem gratiam non inducere necessitatem, quia non est tale gratia trahenti auxilium, cui resisti non possit. Quæ profectò loca intelligenda sunt in sensu composito; saltem respectu gratiæ vocantis, etiam si talis sit, ut cum illa contingat de facto hominem conuerti; ergo stante tali excitatione manet in voluntate integra potestas ad non consentiendum illi: ita ut homo possit coniungere dissensum cum tali excitatione, si, ut talis est, præcise spectetur: ergo talis excitatio de se non determinat voluntatem ad consensum physici determinatiōis, quia hæc determinatio, ut ex terminorum declaratione constat, excludit hanc potestatem. Sed hoc testimonium & ratio in eo fundata ad omnem genus physice prædeterminationis applicanda est, & ideo inferri latius circa illud immorabimur, nam de sola excitante gratia facile ab aliis auctoribus admittitur. Vnde Bannez. 2. 2. q. 10. art. 1. documen. 3. circa finem, cum sibi hoc testimonium Concilij obiecit, adhibet primum responsum, primumque (vrai) verum sensum Concilij, ut de auxilio excitante loquatur, illi enim secundum se spectato resisti potest.

Tertiò probatur in doctrina Augustini, quia id in potestate nostra, quod si volumus facimus, si volumus, non facimus: sed per excitantem gratiam velle constituitur in nostra libera potestate; ergo per excitationem non tollitur potestas nōlendi, ad quod excitamur, etiam in sensu composito respectu excitationis, id est, etiam stante tali excitatione. Maior traditur ab Augustino lib. 3. de lib. arbit. cap. 12. & sequentibus, & lib. 3. cap. 1. & 3. & 1. Retract. cap. 6. & 22. Minor autem sumitur ex doctrina eiusdem Augustini lib. 3. de lib. arbit. capite vlt. dicente, *Voluntatem non aliter ad faciendum quod libet, nisi aliquod visum: quod autem quisque sumat, vel resumat, est in potestate, seu quo visio tangitur, nulla potestas est.* Ad hunc enim modum aliis in locis de excitante gratia philosophatur, ut in superioribus visum est, & in sequentibus videbimus. Nam per excitantem gratiam tangitur cor nostrum, ideoque non est ipsa in nostra potestate: relinquit autem in nostra potestate, tam velle, quam nolle, ergo non determinat physice voluntatem: vnde est illud Augustini quæst. 2. ad Simplician. *Velle sciam volunt esse & nostrum, suum vocando, & nostrum sequendo.* dicitur enim nostrum, quia in potestate nostra est, & in lib. 83. quæstio. 68. *Si quis sibi tribuat quod venerit vocatus, non potest tamen sibi tribuere quod vocatus sit.* Ergo, teste Augustino, etiam vocationi illius, qui de facto venit, non ita determinatur voluntatem eius, quia potest sibi tribuere quod venerit, ergo non fuit determinata eius voluntas per eius vocationem & similia sumi possunt ex Prospero lib. 2. de vocat. gen. cap. 99. alias 26. & in sequentibus discursum hunc generalius urgebimus.

Tr. Suarez de Gratia Pat. 11.

Quartò argumentor ratione naturali, supposita doctrina theologica, nam gratia excitans tota consistit, vel in illuminatione intellectus, quam Augustinus vocat internam, seu reuelationem, vel in simplicibus affectibus voluntatis, quos Augustinus vocat spirituales voluntatem, & suauitatem, sed neutrum istorum potest voluntatem omnino determinare ad consensum, ergo sola gratia excitans non potest de se illam efficacitatem habere illo modo declaratam. Maior quoad vtramque partem inuenitur apud Augustinum tract. 26. in Ioann. tractando & conferendo illa verba Christi. *Nemo potest venire ad me, &c. & illa, Omnis qui audit a Patre, & dicitur, venit.* Vbi inter alia dicit, *Attractio est ipsa reuelatio.* & ibidem explicat tractationem per illud. *Trahit sua quemque voluptas.* & serm. 2. de verbis Apostol. dicit, *Ista suauitas ipsa est attractio,* & lib. 1. de grat. Christi cap. 13. & 14. *Si doctrina dicenda esset, dicitur, ut alius eam Deus infunderet, credatur.* & lib. 2. de peccat. merit. capite decimo septimo. *Ut innotescat quod latebat, & suauitate fiat, quod delectabat, gratia Dei est, que hominum adiuuat voluntates.* quibus verbis totam hanc gratiam reuocat ad certam scientiam, & vtricem delectationem, & alia multa sumi possunt ex dictis supra de gratia excitante.

Minor autem quoad priorem partem de actu intellectus manifesta est ex alio principio Theologico, quod intellectus in hac vita non habet potestatem determinandi voluntatem ad vnum, nam illa esset necessitas quoad exercitium, saltem in sensu composito, quæ in hac vita impossibilis est ex sola suppositione actus intellectus, nisi præcedat actus voluntatis, in quo talis determinatio fundetur, ut est notum in doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 9. & 10. & 13. & 1. p. q. 82. & in Philosophia etiam, seu Metaphysica manifestum est, quia est ad libertatem necessarium. Nam intellectus non est potentia libera, sed naturaliter apprehendit, aut iudicat, ergo si aliquando libere assentitur, oportet ut à voluntate moueatur. In actu ergo intellectus, qui antecedit omnino voluntatem, non est libertas, quod maxime notum est in actu gratiæ excitantis, de quo tractamus, ut ex supra dictis patet; ergo ad libertatem voluntatis necessarium est, ut per illum actum intellectus non determinetur ad vnum, illa enim determinatio esset ab intrinseco, quia motio voluntatis per illum actum intrinseca est; ergo illa determinatio esset necessitas repugnans libertati. Et ideo etiam in Deo ad saluandam libertatem eius circa obiecta secundaria suæ voluntatis necessarium est, ut per suam infinitam scientiam non determinet voluntatem suam ad illa obiecta, sed quod ipsa se determinet, ut ex D. Thoma 1. p. q. 19. supra retuli.

Ratio denique à priori est, quia duo sunt in actu intellectus, vnum est actus ipse, aliud est obiectum eius: actus ergo ipse non habet peculiarem vim determinandi voluntatem, quia non mouet illa, nisi quatenus illi obiectum applicat, nec ratione sui habet aliam efficaciam, ut est verior sententia, & quamuis haberet, illa deberet esse subiecta dominio voluntatis, alias non liber, sed naturalis esset progressus in actibus harum facultatum, sicut est interphantasiam & appetitum. Obiectum autem solum determinat voluntatem, quando infinitum est bonum, & quando ita proponitur, ut in carentia amoris illius nulla ratio boni representari possit. Et hæc ratio dicit D. Thomas voluntatem in hac vita non necessitari ab obiecto ad exercitium actus, sed in sola clara Dei visione, ubi per talem determinationem simpliciter necessitatur voluntas ad Dei amorem. Ad beatitudinem verò in communi dicit idem D. Thomas voluntatem determinari, seu necessitari quoad specificationem, quia in illo

9. Probatur ratione naturali.

Augusti.

10.

D. Thom.

11.

Ratione de quo conuincitur.

illo obiecto nulla ratio mali apprehendi potest. Ad alia verò bona particularia, neque isto modo, determinatur voluntas in hac vita quoad exercitium, nisi in actibus indeliberatis, vel nisi homo impediatur, ne alias rationes boni & mali considerare valeat, quod non est necessarium ad gratiam excitantem, neque ad efficaciam gratiæ, alias non posset homo per gratiam efficaciter moveri ad eligendum inter bonum, & malum, utraque ex parte sufficienter considerando, vel stante libertate, & potestate considerandi illud, quod manifestè falsum est, & contra modum loquendi Scripturæ de usu libertatis, & contra efficacitatem & excellentiam gratiæ. Ergo excitans gratia ex ea parte, qua ad intellectum pertinet, nunquam determinat voluntatem quoad exercitium, & rarissimè quo ad specificationem. Fortasse enim aliquando ex privilegio id conceditur, tunc autem qualis fuerit determinatio, erit etiam necessitas, utique quoad specificationem, nam oportet ut tollatur potestas, & consequenter libertas cogitandi alia, quæ ad contrarios actus, vel specie diversos, possent inducere.

12. **Probatur** Superest probanda altera pars de actibus voluntatis excitantibus. Probatur autem, quia actus gratiæ excitantis in voluntate, solum est quidam simplex effectus, qui solet vocari velleitas: hic autem actus non potest determinare voluntatem ad plenum & absolutum consensum, seu, (quod idem est,) non potest necessitare illam quoad exercitium ex sola suppositione talis motionis, quia neque habet cum illa necessariam connexionem, neque perfectionem illi aequallem. Et declarari potest primò ex testimonio Augustini illis verbis.

Trahit sua quemque voluptas,
nam illa attractio qua solet delectatio inducere voluntatem, non est necessitas, nec determinatio ad vnam, sed solum inclinatio quædam, & propensio, sed similis est motio gratiæ excitantis, etiam efficacis, teste Augustino, ut patet etiam exemplis eius, *Nuces ostendit puero, & trahit illum: ovis ostendit ramum, & trahit illum.* Nam in his etiam usu rationis carentibus non semper, vel non statim talia obiecta ostensa determinant: quoad exercitium, ergo multo minus excitationes indeliberatæ voluntatis, vel simplices affectiones, aut delectationes determinant liberam voluntatem ad ulteriorem consensum, quod tandem declaratur ac confirmatur ex principio communi Theologorum cum D. Thoma 1. 2. q. 13. 2. 6. ad 1. quod dilectio finis non determinat voluntatē ad electionem etiam medijs vnicis & necessarijs, nisi ipsa sit efficax & absoluta, quia si tantum est cōditionata, aut desiderij quoddam, non habet efficaciam mouendi eadem voluntatē ad actū absolutū, qualis est electio, sicut etiam voluntas ipsa non mouet intellectum, vel alias potentiam per velle, sed solum per volo. Cum ergo isti motus gratiæ excitantis sint solum velleitates simplices, non possunt determinare omnino voluntatē ad plenum consensum. Tandem isti motus gratiæ excitantis, cum naturales sint, id est, necessarij, non procedunt ex perfecta deliberatione, nec ex dominio voluntatis: consensus autē debet esse deliberatus, ut ex dominio voluntatis, ergo non potest sequi necessaria illatione, seu intrinseca cōnexionē ex illis motibus, ergo illi non determinant dicto modo voluntatē ad consensum.

15. **Corollarium.**

Quintò hinc colligere possumus rationē aliam, quia si gratia excitans, ut talis est, determinaret physicè voluntatem, planè simpliciter necessitare necessitate sine vlla tergiversatione cōtraria libertati: certū autē est non necessitare hōc modo; ergo. Maior probatur, quia illa non esset necessitas ab extrinseco, in qua solent quæri diuerticula, quæ postea expendimus, sed esset ab intrinseco, quia esset ex solo iudicio rationis, vel ex intrinseca cōnexionē

actuum voluntatis inter se: ergo esset necessitas absoluta cōtraria libertati. Probatur consequentia, nam primò si illa determinatio voluntatis proveniret ab intellectu, res est clara, quia neque ex parte iudicij rationis esset indifferentia, quia iudicium sine indifferentia fieret, cū præcedat voluntatem, & non relinqueret indifferentiam in actu voluntatis, quod adeò est necessariū ad libertatem, ut auctores oppositæ sententiæ in indifferentia iudicij libertatē constituat; ergo si voluntas determinatur à cognitione sancta, quæ in intellectu præcedit iam illa cogitatio non relinqueret voluntatē indifferentē. Imò intelligi non posset talis determinatio aliunde provenire quoad exercitiū actus, nisi ex intrinseca natura & cōditione voluntatis, quia cogitatio non mouet, nisi secundum modum intrinsecum & cōnaturalem intellectui & voluntati; illa ergo necessitas consequentiæ, esset necessitas ab intrinseco, & cōsequenter necessitas simpliciter. Unde hac ratione determinatio voluntatis ad amandū in patria dicitur esse necessitas simpliciter cōtraria libertati, quia pronit ab intrinseco ex natura talis actus, & talis obiecti, & motiones indeliberatæ voluntatis sunt necessariæ simpliciter, quia ab intrinseco habent illam necessitatem supposita tali representatione obiecti, ergo idem esset in ipso consensu, si per sanctam cogitationem omnino determinaretur. Atque idem facile probari potest de actibus voluntatis inter se, quia motus gratiæ excitantis, ut dixi, & necessarij simpliciter est; ergo si ex illo necessario sequeretur consensus necessitate consequentiæ, illa etiam esset necessitas consequentis, quia esset ab intrinseco ex natura voluntatis, vel talium actuum eius, esset ergo necessitas simpliciter. Sicut dicunt Theologi ex absoluta intentione finis sequi necessarij electionem medijs si vnicum & necessarij proponatur, & consequenter si intentio esset naturalis, id est, non libera etiam electionem fore simpliciter necessariam, quia est intrinseca cōsecutio ex natura voluntatis: ita ergo esset in presenti.

Sed quares an saltem de potentia absoluta dari possit gratia excitans quæ hoc modo voluntatem physicè prædeterminet. Respondeo breuiter duobus modis posse intelligi præuiam motionem vitalem, & excitantem determinare physicè voluntatem vno modo, relinquendo illam suæ naturæ, seu cōnaturali causalitati: alio modo eleuando illam per Dei omnipotentiam, utendo scilicet illa vi intrinseca ad impellendam physicè, & cum omni determinatione voluntatē ad consensum. Dico ergo repugnare dari excitantē gratiam quæ priori modo determinaret physicè voluntatē. Ratio est, quia isti præuij motus excitantes qui in intellectu, vel voluntate ante usum libertatis præcedūt ex se & natura sua, non habent hanc vim, ut rationes factæ probant: ergo per solos illos non potest necessitari voluntas si Deus eos suo cōnaturali modo operari & mouere voluntatem sinat, quia illi actus suæ naturæ relictī non possunt immutare cōnaturale modum operandi voluntatis, nec inducere necessitatem ab intrinseco, qualis illa esset, ut ostensum est. Dicunt verò aliqui posse Deū tunc suspendere concursum ad omnē alium actū quo voluntas posset resistere tali excitationi, & tunc aiunt necessariū esse si voluntas consentiat, quia licet libera sit ad efficiendum hūc, vel illū actū proposito obiecto, nihilominus necessarij aliqūe efficiat, nec potest suspendere omnē actum. Respondeo primò præmissas hæc hypothesei & non cōcessiam ibi immutare Deum ordinē cōnaturalis prouidentię, & deinde illū effectum non sequi ex gratia excitante, sed ex intrinseca determinatione voluntatis, cuius natura esse dicatur, ut non possit actū suū merè negatiue, ut sic

dicam, suspendere: vnde suppositis illis principiis, illa non esset determinatio ab intrinseco, sed necessitas quædam quoad exercitum contraria libertati. Quæ, consequenter loquendo, non minus fieret per quilibet propositionem vnius obiecti boni cum ablatione cõcurfus ad suspendendũ actum nolendi. Respondet verò secundo ex illa hypothesi solum sequi necessitatẽ quoad specificationem, non verò quoad exercitum, quia falsa est illa sententia quæ dicit tproposito obiecto non posse voluntatem suspendere omnẽ actum, sed necessaria ad aliquem in cõfuso, quia non est maior ratio de tota collectiõne actuum, quam de singulis: vnde licet Deus negaret cõcursum ad alios positivos actus in prædicto casu, non necessitaretur, vel determinaretur voluntas ad eliciendũ cõsensum, quia illum potest suspendere virtute suæ libertatis, quæ non immutatur propter impotentiam eliciendi alios actus, quæ sequitur ex hypothesi negationis, seu carentia cõcurfus.

Nihilominus verò dico posse Deum de potentia absoluta vt excitatione vt instrumento ad determinandum voluntatem. Probat, quia sicut potest vt aliis rebus, vel motionibus vt instrumentis phisicis ad efficiendum aliquid supra naturã illorum, ita potest vt illa excitatione ad efficiendũ in voluntate actum consentiendi tanta vi & efficacia (vt voluntas non possit illi resistere: si autẽ hoc faciat, Deus determinabit phisicẽ voluntatem per illã motionem: hac autẽ prædeterminatione voluntatis reuera esset quædam absoluta necessitas voluntatis, vt in sequentibus probabo. nam eadem est ratio de hac determinatione facta per hoc instrumentũ, vel per quamlibet aliam motionẽ, vt per se notum videtur. Quocirca sicut supra prolegom. 2. diximus, posse Deum necessitate voluntatem, ita nunc dicimus posse id facere miraculose per illam excitationẽ & hanc vocamus determinationẽ. Verũ tamen, sicut ibi diximus non posse voluntatẽ hominis necessitari per solã voluntatẽ extrinsecã Dei, nisi extrinseca actio, vel mutatio in ipsa voluntate sit maior, vel alterius rationis, ita nũc dicimus per excitationẽ non posse voluntatẽ hominis necessitari, nisi eleuetur ad nouũ modũ agendi, alioqui vel non fiet talis determinatio in voluntate, vel non fiet per excitationem, sed ad præsentiam eius Deus per se ipsum, vel per aliud principium illam faciet.

Ad rationem dubitandi negatur consequentia: nam est verũ sit vocationem ipsam seu excitationem esse efficacem, nihilominus quando talis est, non habet illã efficaciam ex intrinseca determinatione, quam ad efficiendũ cõsensum habeat, sed solum quia ita datur vt infallibiliter illũ efficiat, quæ infallibilitas non oritur ex sola natura, seu entitate talis actionis: quomodo autem illi conueniat, discursu sequentium capitum explicandum est, nam hoc in omni sententia locum habet, vt videbimus.

CAPVT VIII.

vt rñ excitans gratia per seipsam, & natura sua determinet saltem moraliter voluntatem, ideoque talis efficacia auxilij excitantis ad actus liberos & sanctos voluntatis necessaria sit.

Partem affirmatẽ huius quæstionis insinuante multi ex auctoribus allegandis capite sequenti, expresse tradunt illam Aluar. disp. 3. concl. 1. & Ledesma dicta q. art. 1. conclus. 1. & generaliter eam attribuit suis Theologis, signatim veri allegat Ioannem Vincetinum, qui putat illam certissi-

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

mam in Theologia. Tribuit etiam Driedon lib. de Concord. p. 2. c. 3. sed ibi nihil de prædeterminatione morali docet, sed solum de necessitate præuæ motionis per gratiam excitantem tractat, quæ longẽ diuersa est, vt infrã dicam. Deinde Ledesma ad suã sententiã probationem in primis allegat & inducit ea, quæ in principio quæstionis pro conclus. 3. id est pro determinatione generatim attulerat, illa enim ait, ad minus de morali prædeterminatione conuincere. Ibi autem adduxerat locutiones Scripturæ, quibus dicitur Deus vel inclinare corda hominum, vel immutare illa, vel attrahere, vel facere vt velint, & faciant & offerre cor lapideum, & dare cor carneum. Item illa in quibus dicitur Deus causa nostrorum actuum, & incipere ac perficere nostrum velle, nam est causa, inquit, per suum auxilium; ergo illud debet esse præuium, antecedens & efficaciter prædeterminans, &c. Ac denique illa, in quibus soli Deo tribuitur salus hominis, vt illud, non est volentis, &c. & ad hunc modum inducit loca similia Patrum & Conciliorum, quæ nunc superuacaneum est referre, quia nec peculiarem vim habent, & in sequentibus repetenda sunt.

Postea verò eadem testimonia inducit per rationes Theologicas, & obiter ponit duo principia notata digna, in quibus inductio nititur. Vnum est, illa omnia quæ Scriptura docet, non posse fieri per gratiam sufficientem, nam hæc solum dat virtutem & potestatem: quæ autem Scriptura docet, significant actualem efficientiam Dei in nostros actus. Secundum principium est, eum, qui habet auxilium sufficiens, non habere actualem inclinationem ad opera supernaturalia, sed tantum habitualement: nam illud auxilium habet rationem virtutis & potentie, Scriptura autem loquitur de inclinatione actuali, dum dicit, Deum inclinare cor nostrum, & similia. Reliqua quæ in discursu octo rationum dicit, nihil habet peculiare de prædeterminatione morali, & ideo illas nunc præmitto. In altero verò loco applicat priores rationes, supposito generali fundamento quod sit necessaria diuina prædeterminatio, inferendo illam debere esse necessariã moralem. Primo, quia Deus debet præmouere, & prædeterminare voluntatem iuxta illius naturam: voluntas autem est moraliter operans, & ideo natura sua postulat moralem inductionem per mentis illustrationes, & pias affectiones antequam phisicẽ prædeterminetur; secundo & ferè in idem redit, quia prædeterminatio phisica debet fieri tali modo, vt non tollat libertatem: ad hoc autem necesse est, vt præcedat prædeterminatio moralis; ergo est æquẽ necessaria. Probat minor, quia vt prædeterminatio phisica non tollat libertatem, necessarium est, vt fiat iuxta naturam ipsius voluntatis: hoc autem non haberet nisi præcederet prædeterminatio moralis; ergo. Tertiõ voluntas efficit suum actum & phisicẽ & moraliter: ergo vtroque modo debet prædeterminari à Deo, hoc enim necessarium est, vt omnibus modis verũ sit Deum operari in nobis opera nostra, & facere, vt faciamus illa.

Priusquam sententiã meã proferam, duo in superioribus animaduersa in memoriã reuocare necesse est: Primò cauendam esse æquiuocam translationem à verbo præmouendi ad verbum prædeterminandi, & è conuerſo, ac si essent æquipollentia, cum verba præuera sint longẽ diuersa. nam præmouere latius mouendi patet, quam prædeterminare, & prædeterminatio & prædeterminatio includit præmotionem, & addit aliquid, nimirum quod motio talis sit, vt aliquo modo infallibili inducat voluntatem ad cõsensum, faciendo illam velle; vnde ferè ita se habent præmotio, & prædeterminatio, sicut gratia præuia sufficiens & efficax, nam sufficiens præmouet, sed non requirit illam connexionem cum effectu; efficax verò &

Ee 2

præ